

1563. 24. Decembris.

455  
& Epist. Sig. Aug. impr. Lipsia.

## Turcarum Imperatori.

Querelas Imperatoris querelis respondit, se vere  
tamen se interdicturum promittit, ne quas am-  
plius Coloni Turcis injurias inferant, et vicissim  
similia ab ejus subditis expectat.

155  
Accepimus non ita pridem Serenitatis Vestrae  
litteras, quibus nobis significat, castam civitatem sub-  
ditorum suorum ab hominibus nostris, qui abigen-  
dis ac interficiendis gregibus nullum finem faci-  
ant, qua re cum constituta pacta et foedera nul-  
lata nostra violenter, tum etiam, redditus et vectiga-  
lia Serenitatis Vestrae nimium in modum minuantur.  
Ac quod quidem pacta nostra et foedera  
attinet, libenter acquiescimus semper, atque etiam  
nunc acquiescimus in amicitia Serenitatis Vestrae  
quam nobis a Majoribus nostris relictam, atque adeo  
ab ipso Divo Parente nostro, qui foedus cum Sere-  
nitate Vestra susceptum constantissime tenuit, et obser-  
vavit, nos ipsi etiam multis officiis nostris per  
omnem occasionem colimus et observamus, subditio-  
que nostris omnibus, ut exemplo nostro colant et con-  
servent, praecipimus ac mandamus; sed tamen in lo-  
cis finitimis quam difficile sit in omnibus rebus hanc  
amicitiam et bonam vicinitatem ab utraque parte con-  
servari, res ipsa ostendit. Quemadmodum enim subditi  
Serenitatis Vestrae conqueruntur, sibi a nostris injuri-  
as inferri, ita nostrorum quoque hominum assidue  
ad nos perveniunt querelae, multa in se per vim  
et injuriam committi a subditis Serenitatis Vestrae,  
sicuti id Serenitas Vestra et multis nostris litteris

et sermonibus Muntionum nostrorum satis hactenus  
cognoscere potuit, et ex Generoso Georgio Jarlowie-  
ski Castellano Cameracensi et Capitaneo Orerwo-  
nogrodensi, quem ad Serenitatem Vestram oratorem  
jam designavimus, plenius etiam cognoscat. In cae-  
teris rebus neque nos quicquam in amicitia Sereni-  
tatis Vestrae magnopere desideramus, nec Serenita-  
tem Vestram in amicitia nostra desiderare arbitramur.  
Quod autem attinet has injurias, quas nunc ex  
litteris Serenitatis Vestrae intelleximus, etsi jam pri-  
dem in universum omnibus hominibus sub potesta-  
te nostra constitutis severe edicimus per litteras no-  
stras, ut jura vicinitatis cum subditis Serenitatis  
Vestrae colant, et quemadmodum nos ipsi cum Ser-  
enitate Vestra mutua benevolentiam libentes con-  
servamus, ita illi quoque cum subditis Vestrae Ser-  
enitatis eandem benevolentiam conservent; tamen  
nunc etiam acceptis istis a Serenitate Vestra lit-  
teris, deus reverens multo quam antea mandav-  
imus Capitaneis nostris illorum locorum finiti-  
mis, ut subditos nostros in officio contineant, ne-  
que ullam subditis Serenitatis Vestrae tam in va-  
standis ovilibus, quam in aliis rebus omnibus in-  
juriam facere permittant, sub gravi animadversione  
nostra. Postulamus autem vicissim a Serenita-  
te Vestra, ut ipsa suis quoque hominibus severe  
edicat, eosque a vi et injuria subditis nostris in-  
ferenda, diligenter coerceat; sic enim existimamus  
futuram, ut utrinque sacra et inviolata pax con-  
servetur, cum utrinque ab injuriis mutuis fuerit  
temperatum. Confidimus id Serenitatem Vestram

esse

1563. 27. Decembris. ...

esse facturam, quod ad utriusque nostrorum domi-  
norum tranquillitatem conservandam magnopere ve-  
detur pertinere. Bene valere Severitatem Vestram cu-  
pinus, ei que omnia nostra officia amica deferimus.  
Datum Varaviae XXIV. Decembris.

*[Faint, mostly illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]*